



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos  
Distributa

**Ilsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCXXV. Continuatio ejusdem Historiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

satio, & sermonis fervor, ac efficacia valebat ad multorum Conversionem. Sic si verbo & exemplo Proximis nostris prodesse studemus, nullo alio opus est Miraculo, ad magnos progressus faciendo.

## MEDITATIO CCXXV.

*Continuatio ejusdem Historiae.*

Joan. 4.

PUNCTUM I. *Et continuò venerunt Discipuli ejus, & mirabantur, quia cum muliere loquebatur; nemo autem dixit: quid queris, aut quid loqueris?* v. 27. Insolitum quippe erat Christo, seorsim loqui cum muliere, idque hoc fine, teste S. Cyrillo, & alijs communiter, ut Castitatis & Honestatis omnibus Fidelibus, sed maximè Clericis & Religiosis Exemplum daret: quia, ut dicitur Eccli. 42. v. 13. *De vestimento procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Non ergo nisi raro, cautè, publicè, breviter, & ex necessitate cum mulieribus loquendum. Imitandi etiam sunt Discipuli, qui in Christi Sermonem non ausi sunt curiosè inquirere. Sic ne in morum civilitatem, & animi tui quietem offendas, noli aliorum sermones, & actiones scrutari.

PUNCT. II. *Interea rogabant eum Discipuli dicentes: Rabbi, manduca.* v. 13. Ecce, rogandus fuit Christus, ut manducaret: inviti enim quodammodo, & non nisi consueta necessitate coacti, ad reficiendum corpus induci debemus, nec voluptati, sed meræ necessitati servire: & dum corpus edendo reficitur, sua etiam refectione Animæ præbeatur. Unde sequitur.

B 3

PUNCT.

22 Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum.

PUNCT. III. Ille autem dixit eis: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* v. 32. *Meus cibus est, ut faciam Voluntatem eius, qui misit me,* ut perficiam opus ejus. v. 34. Quibus verbis Christus animum à cibis corporalibus abstraxit, ac divertit ad cibum Spiritualem, Salutem scilicet Animarum, quam famelico desiderio propter Voluntatem Patris sui magis quam cibum corporalem appetebat: unde hujus famem in animis suorum Discipulorum excitare studuit: 1. Propriæ famis Exemplo. 2. Multitudine, capacitate, & indigentia hominum, sub metaphora copiosæ & matutinæ messis, requirentis messores: *Levate oculos vestros, & videte regiones, quia aliae sunt iam ad messem.* v. 35. 3. Pollicitatione præmij. *Qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in Vitam Æternam: ut & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit.* v. 36. 4. Facilitate, & jucunditate laboris: eò quod Prophetæ Veteris Testamenti comparatione Discipulorum, uti & Præcessores respectu nostri duros seminandi labores jam conseruent, & solùm superfit jucundus labor metendi, juxta vetus & verum proverbium: *In hoc enim est verbum verum: quia alius est, qui seminat, & alius qui metit.* Ego misi vos (nempe cœpi mittere, & constitui Apostulos, id est, Missos) metere, quod vos non laborastis: alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis, v. 37. & 38. Excita itaque & tu famem in te tam præstantis cibi, & dic: *Meus cibus est, ut faciam Voluntatem eius, qui misit me,* ut perficiam opus ejus: Damna vero & repelle alios cibos, si haec tenus cibus tuus fuit voluptas corporalis cibi & potus, honor, laus, vana gloria, commoditas corporis, otium, inutilis conversatio, ac confabulatio cum hominibus &c.

MEDI-